

CAPERVLA RVBRA

Personae:

Māter
Caperula
Lupus
Quattuor vĕnātōrēs.
Avia

MĀTER

Eheu! Māter mea est infirma et habitat sōla in mediā silvā. Mittō ad eam alimenta et vīnum.
Sed, ubi est filia mea? Caperula !! Caperula !!

(Intrat Caperula)

CAPERVLA

Quid est, māter ?

MĀTER

Caperula, filia mea, necesse est tē aviam tuam vīsītāre, quod infirma est.

Ecce! Alimenta et vīnum praeparāvī. Age! Vesti parvam caperulam rubram!

Portā alimenta et vīnum per silvam ad aviam. Festīnā et ne tardes. Avia tē exspectat.

CAPERVLA

Valē, māter !

MĀTER

Valē, Caperula !

CAPERVLA *(per silvam ambulāns)*

Quam fatigata sum! Iter longum est ad vīllam ubi avia mea habitat. Necesse est sedēre.

LVPVS

O miserum! Nulla pax data est lupīs...Vĕnātōrēs sunt in silvā; vĕnātōrēs mihi nōn placent...

Sed... quid vidēō? Parvam puellam... Puellāe mihi multum placent. Hanc puellam mandūcāre volō. Sed puellam nunc mandūcāre nōn possum, quod vĕnātōrēs proximī sunt. Sed...

exspectāte!

(ad Caperulam:) Salvē, puella! Tūne fatigata es?

CAPERVLA

Ita vērō. Faciō longum iter...

LVPVS

Quō ambulās?

CAPERVLA

Ad villam ubi avia mea habitat. Alimenta et vinum portō, quod infirma est avia mea.

LVPVS

Vbi habitat avia tua?

CAPERVLA

In mediā silvā habitat, prope fontem.

LVPVS

(ad spectatōres sē vertēns) Aa! Festinā lentē, mea columba...

(ad Caperulam) Tibi indicābō viam facillimam et brevissimam...

Vade per medium huius silvae et perveniēs vëlōciter ad aviam tuam. Valē!

CAPERVLA

Valē!

(locum mirāns) Ecce! Quam pulchrī sunt flōrēs! Quam magnae sunt arborēs! Quam benignus erat is lupus !

VĒNĀTŌR 1

Salvē, parva Caperula Rubra!

CAPERVLA

Salvēte, amīcī.

VĒNĀTŌR 2

Quō ambulās?

CAPERVLA

Ad villam ubi avia mea habitat. Alimenta et vinum portō, quod infirma est avia mea. Et vōs, quid facitis?

VENATŌR 1

Nōs captāre volumus lupum quī per silvam currit. Cautē prōcēde, parva Caperula Rubra.

VENATŌR 2

Nolī morārī, Caperula: lupō tenerās puellās mandūcāre valdē placet. Valē!

CAPERVLA

Valēte!

---(Aviae domus)---

(Ianuam pulsat) Tocus, tocus, tocus!

AVIA

Quis portam pulsat?

LVPVS

(vōce puellārī) Ego, Caperula, neptis tua amantissima, portam pulsō!

AVIA

Intrā, intrā, Caperula!

(Lupus intrat et aviam vorat. Deinde in lectō cubat) (Venit Caperula)

CAPERVLA

Tocus, tocus, tocus!!

LVPVS

Quis portam pulsat?

CAPERVLA

(parvā vōce) Certē, avia mea moribunda est...

(magnā vōce) Ego, Caperula, neptis tua amantissima, portam pulsō!

LVPVS

Intrā, intrā, Caperula...

CAPERVLA *(ad aviam adit)*

O avia mea! Magnās aurēs habēs..!

LVPVS

Sunt ad audiendam tē melius, Caperula!

CAPERVLA

O avia, mea! Magnōs oculōs habēs..!

LVPVS

Sunt ad videndam tē melius, Caperula!

CAPERVLA

O avia mea, ingentēs dentēs habēs..!

LVPVS

Sunt ad devorandam tē melius!!!

(Lupus Caperulam rapit. Ea clāmat. Vēnātōrēs veniunt.)

VĒNĀTŌR 1

Furcifer!

VĒNĀTŌR 2

Agite, amīcae! Lupus necandus est!

VĒNĀTŌR 1

Carnifex! Mortem tibi dabō *(lupum necat)*.

VENATŌR 2

Lupus est mortuus, et tū, parva Caperula Rubra, salva es!

VĒNĀTŌR 1

Quīn scindimus ventrem lupī?

VĒNĀTŌR 2

Rectē dīcis.

VĒNĀTŌR 1

Ego cultrō meō ventrem eius scindam.

(Ventrem lupī scindit. Avia integra exit)

VĒNĀTŌR 1

Ecce! Avia integra est!

AVIA

Gratiās maximās vōbīs agō, amīcae! Eāmus domum: ego parābō magnificam cenam et vōs invitābō.

OMNĒS VĒNĀTŌRĒS

Ohe! Vīvat avia!

(Omnēs laetae domum ambulant et canunt)

OMNĒS

Lupus mortuus est et nōs
ōmnēs salvae sumus et silva
tandem tūta est.

QUAESTIŌNĒS

1. Ubi habitat Caperula?
2. Ubi habitat lupus?
3. Cur Caperula portat alimenta ad aviam eius?
4. Estne laetus lupus?
5. Quid vult facere lupus cum Caperula?
6. Quid dicit lupus Caperulae?
7. Quid volunt facere
vĕnātōrēs?
8. "Avia" habet _____, _____ et _____ magnōs
9. Quid erat avia?